PETRI LOTICHII SECUNDI *ELEGIARUM LIBER 2. EIUSDEM VENATOR

Petrus Secundus Lotichius

PETRI LOTICHII SECVNDI ELEGIARVM LIBER II.



EIVSDEM VENATOR.





LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM.
M. D. LIII.



IO. DE SYLVA AD LOTHICHIVM.

Lotichi, si quid cupidæ sunt omina mentis
Non opus in tenebris corruet omne tuum.
Atq; aliquis spectans olim tua carmina, dicet:
Venator, vates, miles, amator eras.

FR. ARTIFEX ATHENSIS.

Lasciui, molles, teneri, simul atq; salaces,
Thespiadum procul hinc vos iubet ire chorus.
Ast quibus est cordi Veneris contemnere luxus,
Atq; pharetrati spicula sæua dei,
Hos legitote Elegos, miti pietate refertos:
Casta placens sanctis pectora numinibus.
Dulce poëma, fluens, medioq; Helicone petitum
Exhibet hic vates suauiloquente stylo.

ERHARDVS STIBARVS ERASMO NEVSTETER EQVITI FRANCO S. D.

*



AEPE soleo mihi ante oculos ponere crebrisq; vsurpare sermonibus, Doctissime Erasme, suauẽ ingenij tui, morumq; sanctimoniam atq; venustatem: quibus tantam tu laudem apud omnes iam es consecutus, vt seculo hoc perdito, & summa rerum omnium perturbatione, multi in spem amplam veniant, excellentem virtutem tuam & industriam Reipublicæ aliquando & bonis literis saluti & ornamento futuram esse. Hæc nos animi virtutisq; tuæ recordatio frequentius, semper tamen mirabiliter afficit, gloriæq; tuæ admiratio ita animo meo hæret infixa, vt ea auelli nunquam posit. Mitto igitur ad te Lotichij nostri Elegos, neq; ita multos vt pertimescas, idq; eò facio libentius, quòd tu non minus optimarum atrium & literarum, quàm & humanitatis & comitatis laude excellis, nec à Poëtarum studijs abhorres, quibus animi & ad virtutem erudiuntur, & ad omnem alacritatem redduntur aptiores. Extabat hic maximus otij nostri fructus in hortis suburbanis, vbi crebrà æstate proxima, quoties se calor fregisset, apricationis causa conueniebamus, Carminum, eorum præcipuè quæ ad ingenij relaxationem

essent accommodata, pronuntiatio: eramq; ego ibi cum Lotichio ad multam diem sæpissimè, &(vt Catullus inquit de Licinio)

Scribens versiculos vterque nostrûm
Ludebat numero modò hoc modò illo.

Hi nunc in manibus tuis sunt, quibus tu eò etiam fauebis amplius, quò magis hæc studia reconditis atq; abditis è fontibus hauriuntur, & ab imperitorum intelligentia sensuq; disiuncta sunt. Quòd si, vt spero, feceris, dabo profectò operam, vt amor noster, qui locorum distantia interruptus hactenus fuit, apertioribus testimonijs in posterum elucescat. Vale. in monte Pessulanò Idibus Februarij, Anno M. D. LIII.

P. LOTICHII SECVNDI ELEGIARVM LIBER SECVNDVS.



Ad Mathiam Stoium Borussum.

ELEGIA I.

Sume nouum, dixi, vatem cum matre Cupido,
Vror, & en gressus in tua castra fero.
Sic ego, cum tenero sic alma Cupidine mater,
Militiæ princeps tu mihi, cœpit, eris.
Nec mora, littorea cinxit mea tempora Myrto,
Et leuiter ridens hæc, ait, arma geres.
Exoluit promissa Venus: fœliciter arsi,
Inq; meo nullum crimen amore fuit.
Quinetiam voti compos noua carmina feci:
At citò lætitiæ nunc mihi finis adest.
Et meritò, quid enim frangens mea commoda fugi?
Vtilius fuerat non habuisse pedes.
Nunc & Amor grauius, quia signa reliquimus, vrit,
Et rapido longas vindicat igne vias.
Pollicitisq; fidem iubet addere mater Amoris,
Concutit & sæuas, ne sit inulta, faces.
Nonnè fuit melius teneræ seruire puellæ

Cernere quàm tumidi littus vtrumq; maris?
Quid mihi cum pelago, mea si tellure morantur
Gaudia? si puppis non vehit vna duos?
Cærula mutandis haud mercibus æquora sulco:
Magnificas adeò non ego miror opes:
Nec ratibus Zephyros opto, sed amantibus aptos:
Quid mihi cum pelago si meus ignis abest?
Parce tuo Vati (nam sum tuus) alma Dione,
Si Dea scis Votis crimen abesse meis.
Sancte puer, pueriq; parens, auertite curas,
Digna parens puero, digne parente puer.
Vos quoq; Nereides veteres extinguite flammas,
Si qua viret toto, quæ iuuet, herba mari.
Vos sedate meos ponti quæ sternitis æstus:
Credibile est mites æquoris esse Deas.
Ipse tenens Cytharam (si qua est ea gratia) dicam
Tethyos amplexus Oceaniq; senis.
Vosq; ministerijs fessos memorabo diurnis
Axe sub Hesperio pascere Solis equos.
Vana precor, surdum verbis obmurmurat æquor,
Hei mihi, quàm longè quod peto littus abest!
Torqueor, & cunctas violentius vror in horas,
Arida ceu calidis vritur Alga focis.
Fœlix ante alios patriæ decus, optime Sioi,
Et caput ærumnis sæpe fidele meis.
Tu modò præsentes morbis in collibus herbas

Deligis

Deligis, & succos conficis inde suos.
Et modò syluestri meditaris arundine carmen
Inter Hamadryadas lassus, & inter aues.
Interea gelidis in vallibus aura susurrat,
Lenit & ardores spiritus ille tuos.
Fœlix qui molles trahis abditus arbore somnos,
Irriguæ ducit quos leue murmur aquæ.
Me Venus incertis agit imperiosa procellis,
Vt rapit instabiles æstus in alta rates.
Hinc est, quod dulcis nec carpo dona iuuentæ,
Ex humili nec me carmine Musa leuat.
Quin prius in numeros faciles quæ sponte fluebant,
Vix possunt iustis verba coire modis.
Non tamen indignor, merui quoq; fortè, sed angi
Mon merui tantis, nec sine fine, malis.
Non ego te mea lux, deceptam fraude reliqui:
Artibus his mores abstinuere mei.
Barbarus hoc ausit, cui non sua munera Phœbus,
Nec dedit Aoniam Calliopæa lyram.
Dÿ facite hæc pietas mihi prosit, & vltima passum
Deferat in portus me Cytheræa suos.

Ad Dauidem Chytræum.

ELEGIA II.

Quæ legis, ad ripas Viadri Chytrae Secundus
Tristibus hinc Elegis verba ferenda dedi:

Pinguia quæ Ligeris secat arua rapacibus vndis.
Per caua spumosis saxa volutus aquis.
Ecquod erit tempus vestris quo redditus oris,
Aonij tecum pars Heliconis agam?
Quando erit exhaustos iuuet vt meminisse labores.
Arbitrioq; dies continuare meo?
Hæc ego, cùm reditus agitarem mente fouebam
Gaudia, successus non habitura suos.
Nam subitò nostris iterum contraria votis
Horrida Mænalio bella sub axe tument.
Vtq; ferunt, armis regio vastatur & igni.
Pene mihi patrio gratior ora solo.
Non patria est tantum primos vbi sumpsimus ortus:
Sed quocunq; loco viuere dulce fuit.
O ego quàm vellem, ne quis mihi nuntius esset,
Extremas vltra Solis abire vias.
Degere vel Lybicas vbi dissipat Auster arenas,
Quà non vlla meum fama sequatur iter.
Hoc tamen est leuius, quàm damna videre suorum,
Leniter ad sensus auribus hausta fluunt.
Lumina conscelerent alij, qui sanguine gaudent.
Durities non est pectoris illa mei.
Nouimus & gelidas vt tu superaueris Alpes,
Multa forent oculis ne patienda tuis.
Vtq; procellosis toties patet Adria ventis,
Viderit incertum penè salutis, agi.

Quid

Quid loquar vt veteres Arni percurreris vrbes?
Quasq; secat Tybris, quas Anienis aquæ?
Hinc tua te geminas fortuna remisit ad Arctos
Aonij profers nunc vbi iura chori.
Nam tibi (quod lætor) raras in pectora dotes
Contulit, & linguam Phœbus vtramq; dedit.
Oraq; si culto sermone diserta resoluis,
Crediderim Musas hoc ego more loqui.
O vtinam misero solatia dicere posses,
Non adeò durum, quo premor, esset onus,
Iam neq; me veterum mulcent præcepta virorum,
Vlla nec in libris est medicina meis.
Sæpe suburbanis (vt nunc quoq;) lentus in hortis
Ambulo, flumineas qua liger audit aues.
Aut spatijs pono varias æqualibus herbas,
Irriguæ sulcum nec dare tædet aquæ.
Diluit aut fesso sub amicta vitibus Vlmo
Ex animo curas Bacchus, ab ore sitim.
Paucaq; subijciunt, illic mihi carmina Musæ,
Tempora dum leni sunt madefacta mero.
Forsan & abruptos fando renouamus amores,
Et quondam dulces flemus amicitias.
His miser atq; alijs, tento lenire dolorem,
Ille sed in medijs nescit abesse rosis.
Tunc piget, ac mallem nullos tetigisse libellos,
Cùm subit in studijs nil opis esse meis.

Me miserum quod non alio mihi tempore nasci
Contigit, aut vita non breuiore frui.
Nam mihi quid cœli iucundum cernere lumen
Prodest? si grauior proxima quæq; dies?
Pax ades, ô longumq; mane, pax optima rerum,
Pace vigent vrbes, pacis alumnus Amor.
Est locus vmbrosas vbi Cynthius educat Alnos,
Et rapido nunquam Sole tepescit humus.
Illic propter aquas è ramis arboris altæ
Suspendam rediens hanctibi Phœbe lyram.
Et duo rugoso crescent in cortice versus,
Vt sciat hanc omnis ripa fuisse meam.
Pace lyram facta posuit tibi Phœbe Secundus,
Ille tuus Vates, muneris illa tui est.
Tunc deducta nouis mihi carmina fontibus ibunt,
Forsan & à nullo vate secundus ero.
Non ego deletas acies, non aspera dicam
Prælia, res oris non erit illa mei.
Rura colam, teq; alme pater, qui bella coërces,
Te labente die, te veniente canam.
Interea dum fata negant Chytrææ recursum
Pectore vos memori semper habebo, Vale.

Ad Ioannem Sambucum Pannonium.

ELEGIA III.

Ibimus æquoreas sine te Sambuce per vndas.

Sit

Sit precor ad longas vtilis hora vias.
Tu repetis primos Araris, quos vidimus, ortus,
Et patriæ gelido rura sub axe tuæ.
Noster & à Ligeris tecum procul amne recedit,
Indigus, ah, medicæ nunc Apianus opis.
Vade, nec immiti correptum febre sodalem
Desere, iucundum te duce fiet iter.
Diuidimur, sic fata iubent, valeatis amici,
Hei mihi, quòd toties hoc ego dico, Vale.
Non ego vos properans lætanti mente relinquam,
Moribus hæc feritas absit abestq; meis.
Flebo ego discedens, & vos amplectar euntes,
Et querar absenti nil fore dulce mihi.
Gratus enim longæ mihi consuetudinis vsus,
Quicquid in hoc nobis incidit orbe, fuit.
Scilicet in vestro geniales pectore Musæ
Effigiem moris constituere sui.
Hinc amor & simplex probitas, hinc copia fandi
Tinctaq; Cecropio carmina melle fluunt.
Non pariter latum sulcabimus amplius æquor,
Prora fatigatis non dabit vna thorum.
Nec simul à nautis portus scitabimus aptos
Et quæ noctis iter sydera, uela regant.
Vos quoq; suprema nunc forsitan alloquor hora,
O vtinam memores sitis vterq; mei.
Ipse pruinosæ iuga seu calcabo Pyrenes,

Siue

Siue tuo lassus gurgite Vare bibam:
Seu quocunq; trucis caput hoc feret impetus vndæ:
Semper inoblita vos pietate colam.
Fœlix qui laribus contentus viuit auitis:
Fœlix ô nimium cui sua terra sat est.
Ille satur tacitis & inambitiosus in hortis
Degit, vbi proauis res fuit ante suis.
Certè ego, si sinerent mea fata, quiescere vellem,
Nec toties longas quolibet ire vias.
Certè ego sic agerem molles inglorius annos,
Nec mihi solstitium, nec grauis esset hyems.
Vtile quid iuuenes errando perdimus æuum?
Nemo tamen curas effugit ipse suas.
Adde tot exhaustos multis sine honore labores,
Quorum culpata est, nec meruere, fides.
Interea subrepit iners & inutilis ætas
Inq; alias tacitè mors vocat atra vias.
Sic vates vmbris crudelibus occubat Altus:
Sic Rosa, flos æui nuper vterq; fui.
Alte tuos cineres (quicunq; est) alluit Arnus,
Pæoniæ celsis occidit ille iugis.
Nec iuuat ingenium doctas formasse per artes,
Fonte nec Aonio deposuisse sitim.
Concordes animæ, regeret dum spiritus artus,
Natalis cuperem vos tenuisset humus.
Quis dedit ignotis tumulos, quis lumina texit?

Quis scit, an hæc fati nos quoq; iura manent?
Quandocunq; volent, superis parere necesse est:
Terra sepulturæ qualibet apta meæ.
Nulla mihi est, nostro quæ ploret funere, coniux,
Et pia, si moriar, non erit orba parens.
Ad mea sed quando venietis busta sodales,
Qua procul occiduo littora Sole tepent:
Este mei longum memores, requiemq; precati,
Spargite pallentes ante sepulcra rosas.
Et facite, vt cineri Lotos mea præbeat vmbram
Carmen & in viridi cortice tale gerat:
Immiti Vates consumptus morte Secundus
Hîc situs est: dicta pace, Viator eas.

Ad Ioachimum Camerarium Pabergensem.

ELEGIA III.

Si vacat arcanis aures præbere querelis.
Nec data per læuas omina spernis aues:
Accipe quæ primis Ioachime cadentibus astris,
Accipe quæ uidi cùm fuit orta dies.
Nox erat, & placidos spargebant sydera somnos,
Quos leuis aëria deuehit aura via.
Plaustraq; Mænaliæ dum custos flecteret vrsæ,
Somnia sunt curas hæc imitata meas.
Flumen erat, dubito fuerit num Rhenus an Ister,

Spumi

Spumifer aut Albis, sed reor Albis erat.
Stabat arenoso vetus vrbs in margine ripæ,
Omne cruentato milite cincta latus.
Castraq; spectabat virgo de mœnibus altis.
Fallor, an in læua serta fuere manu?
Flebat, & inuitis miscebat fletibus iram,
Turrigero longas vertice scissa comas.
Ergo fremens, quis me manet exitus, inquit? an vltrà
Sors mea, quo tandem progrediatur, habet?
En ego quam foui tot lustra fideliter vrbem,
Nobile cui de me nomen habere dedi,
Efferus ex imis euertere sedibus hostis
Nititur, & veniæ ius superesse negat.
Hic pietatis honos ea libertatis amatæ
Gratia? quid fieret si scelus orsa forem?
Prosit & excuset, quod sum mihi conscia recti,
Et caput in patriæ nulla quod arma tuli.
Sed prodesse parum est: labes tunc prima malorum
Hoc miseræ (verum si profitemur) obest.
Mœnia debueram natalia prodere, texi:
Fida nec innocuis ciuibus esse, fui.
At decus hinc nostræ quondam meruere puellæ,
Ad quas & populi summa relata fui:
Vindicibus merces iam nulla rependitur armis,
Cùm tulerit aliæ præmia, plector ego.
Quid faciam? qua spe nitar? quo lumina flectam?

Vnde

Vnde petam laßis anxia rebus opem?
Non mea connubijs operatur in vrbe iuuentus,
Pace bona casti gaudet Amoris opus.
Squalida uastatis apparent frugibus arua:
Hostis ab agricola non sinit arua coli.
Nec lego purpureos in serta recentia flores:
Non mihi flos pratis mollibus ullus hiat.
Funera bis vidi campis indigna meorum,
Damna bis aduerso tristia Marte tuli.
Hei mihi, qualis erit (quod abominor) exitus vrbis,
Concidet hostili si reserata manu?
Quis tenerum pauidæ latus hauriet ense puellæ?
Virginitas cuius præda latronis erit?
Hæc, oculi quæcunq; uident, cinis omnia fient.
Vtraq; dicetur flebile ripa solum.
Ergo dies veniet, qua mœnia nulla tuebor,
Paruaq; restabit nominis vmbra mei.
Quaq; fuit murus, terram proscindet arator,
Vrbsq; sub his, dicet, collibus alta fuit.
Quid grauius victore Geta miseranda tulissem
Cæsare quam magno bella gerente fero?
Atq; vtinam sæui potius mea viscera Thraces,
Persaq;, & extremus dilaceraret Arabs.
Hoc tamen infœlix casus solares acerbos:
Vulnera cognatæ sunt grauiora manus.
Maiorum tumulos, sacrasq; Tuistonis vmbras

Testor,

Testor, & hoc tacito sydera fixa polo,
Me seruaße fidem: si mentior, vltima nunquam
Quæ pation tantis hora sit vlla malis.
Et tamen vt furijs iusurgit atrocibus hostis?
Si lubet in cineres sæuiat ille meos.
Herbiferæ valles, gelidiq; in vallibus amnes,
Quicquid & in terris dulce relinquo, Vale.
Este mei memores ripæ, Nymphæq; sorores,
Longa mea in vestris regna fuere locis.
Plura querebatur, nostro sed protinus omnis
Corpore defluxit somnus, & orta dies.
Mœstus, & obscuræ turbatus imagine noctis
Sub matutini lumina Solis eram.
Montis inaccesßi radicibus adiacet imis
Lucus, vbi variæ consociantur aues.
Est sacer arbustis, vastisq; recesßibus horror,
Per medium raucæ voluitur amnis aquæ.
Hic trepidæ speciem repeteus in valle quietis
Ergo quod (aiebam) somnia pondus habent?
Cur nimium memini? verisq; simillima vidi?
Languidus Aurora cur oriente fui?
Dum queror, & varijs turbatus obambulo curis,
Mobilis arboreas impulit aura comas.
Ecce quatit rapidis Iouis armiger aëra pennis
Albus & incuruis vnguibus hæret Olor.
Nulla fuga est capto: spectantq; silentq; volucres,
Aspera

Aspera dum fuluæ præpetis arma timent.
At vigil, Auroram qui cantibus euocat, ales
Audet, ab aërijs obuius ire iugis.
Tunc volucer sæuas exercitus vndiq; pugnas
Suscitat, alarum plausibus antra fremunt.
Interea remouent subeuntia nubila Solem
Præsagiq; micat fulminis igne polus.
Terreor, & vanos reor hæc quoq; fingere somnos,
Sed patula uigilans ilice nixus eram.
Mox paucæ redeunt, & ouantes Sole reducto,
Paulatim molli pace fruuntur aues.
Et niue candidior, veluti iam fata vocarent,
Fundit Olor dulces ad vada nota sonos.
Protinus exclamo, superi mea visa secundent:
Inq; Notos, quicquid triste minantur, eat.
Nec minus indigenis voueo sua munera Nymphis,
Et palmis haustas libo duabus aquas.
Hæc tibi, qui causas aperis Ioachime latentes,
Carminibus volui non reticere meis.
Plura quidem vidi, sed quæ celanda putaui:
Valle sub arcana cætera quercus habet.

Ad Ioannem Hagium Francum.

ELEGIA V.

Scribis, longa meos nunquid via temperet ignes,
Aut quid adhuc sæui miles Amoris agam.?

B *Absen*

Absentemq; refers consumi tabe puellam,
Multaq; fortunæ de leuitate queri.
Protinus, vt legi, calefacta per ora cucurrit,
Sparsit & attonitas flamma rubore genas.
Sunt etiam lachrymæ (nec turpe putabis) obortæ:
Admonitu Dominæ cor mihi molle fuit.
Non quisquam meliore fide (tu testis) amauit,
Cùm noua me Veneris misit in arma puer.
Tunc ego regnabam, nec me fœlicior alter
Gessit militiæ signa Cupido tuæ.
Tunc primùm dulcis præconia noscere famæ,
Et cœpi teneris velle placere modis.
Vtq; silet maris vnda, maris cùm sternitur vnda:
Sic ego tranquillus, sic ego lætus eram.
Nulla mihi vasti restare pericula Ponti
Fingebam, nullas iam superesse vias.
Sic auidus prælusit Amor, mox omnia vertit,
Longaq; post actum ver breue, cœpit hyems.
Nam pudor à cupidæ cùm cederet ore puellæ,
Nec caperet fastus amplius illa suos:
Immemor ipsa mei, quo spes minor, acrius arsi,
Spumens in breuibus ceu furit æstus aquis.
Quis mihi non illo solatia tempore dixit?
Quis graue sub Brumam non miseratus iter?
Cùm tu præcipuè de mille sodalibus Hagi
Fletibus ærumnas prosequerere meas.

Præda

Præda recens (memini) licet ipse Cupidinis esses,
Et similis toto pallor in ore foret,
Vulnera lenibas tamen infœlicis amici,
Et mihi dicebas: i modo, sanus eris.
Quid tamen hybernis pulsas Aquilonibus Alpes,
Profuit, & rupes scandere Iura tuas?
Me Rhodanus velox, me clementissimus amnis
Cæruleo lassum gurgite vexit Arar.
Vidi spumiferis vbi Sequana fontibus exit,
Vidi qua tumidas in freta voluit aquas.
Est tamen indefessus Amor, nec inhospita curat
Saxa, nec irati murmura sæua maris.
Quid querar infœlix? Tua molliter ossa quiescant,
Alte sub Hetruscis nuper humate iugis.
Tu mihi per casus omnes, dum fata sinebant,
E cælo missus dulce leuamen eras.
Ergo ego te nunquam miseris deflere querelis
Cessabo, donec me premat atra dies.
Nunc simul à Domina, charisq; remotus amicis,
Vt vaga Nimboso turbine pinus, agor.
Ante meos oculos, quæcunq; reliquimus, hærent,
Et quæcunq; animo grata fuere meo.
Sic mea lux patrios me sæpe uocauit in hortos
Sic lachrymans flammas est mihi fassa suas.
Sic gemuit, sic culta fuit, sic oscula iunxit,
In viridi mecum sic requieuit humo.

Sic ego triste Vale, sic verba nouißima dixi,
Vltima sic posito nox vigilata mero.
Hæc mihi cùm subeunt, qui penè resederat ignis
Crescit, & admonitu robora sumit Amor.
Sed tamen aut fallor, positis aut tempore curis
Quod mihi promisit vox tua, sanus ero.
Viuat, & abrupti causam sciat illa coloris,
Non reuocant lapsos irrita vota dies.
Iam nihil est totum quod amauimus, omnia mecum,
Dij quoniam magni sic voluere, tuli.
Quod superest, melius ver exigat vtilis æui.
Viuat, & ardoris sit modus illa mei.
At tibi, qui mecum longo coniungeris vsu,
Dulcia coniugij vincula nectat Hymen.
Quæq; iuuentutis sunt præmia puriter actæ,
Ante tuos videas pignora certa pedes.
Me doctis animum iuuat emendare libellis,
Candidior forsan proximus annus erit.

Ad Montem pessulanum, cum eam vrbem studiorum gratia cum Stibaris inuiseret.

ELEGIA VI.

Hospes in hanc venio, paucis comitantibus, vrbem,
Este salutati Dijq; Deæq; loci.
Vos mihi fœcundi montes, agriq; salubres
Vtiliter visæ vos mihi sitis aquæ.

Si quis & hìc nouit nomen patriæq; meumq;
Mansuetam fesso porrigat ille manum.
Tarda quòd insolito moueo vestigia passu,
Huc procul à Ligeris fecimus amne viam.
Quòd niger in facie color est, Sol ora perussit:
Quòd sedet in reliquo corpore pallor, amo.
Cincta quòd Aonia non sunt mea tempora lauro,
Non ego Castalio fonte poëma bibi.
Sit mihi fas celebres ab Apolline scandere colles,
Sit mihi fas sacro ponere monte pedem.
O mihi qui monstret cultus habitusq; locorum,
Atq; aliquid miri si nouus orbis habet.
Sic ego, sic vnus, veteris non inscius æui,
Certior hinc (nam te nouimus inquit) eris.
Hìc tenet à Volcis nomen lacus, herbifer illìc
Setius aërijs mons petit astra iugis.
Hìc cœtus hominum Delphines adire solebant,
Inter & errantes ludere sæpe rates:
Hìc egere vagos nautis in retia pisces,
Ad uada cùm lato prosiliere mari.
Inde petens læuam fuit hæc solidissima tellus
Nunc sinus, hæc Marius littora fodit, ait.
Talia, me ducens per singula, retulit vnus:
Retulit & mores gentis, & vrbis opes.
Grande viæ pretium, nec pœnitet aëris æstus
Nec toties mistos imbre tulisse Notos.

Ipse recedentes (quis poßet credere?) Phœbus
Iam caput Aemonij per senis, vrget equos.
Arua tamen placidi fouet hîc clementia cœli,
Blandaq; ceu primi tempora veris eunt.
Gramina nec campis desunt, nec montibus vmbræ,
Estq; ferax herbis, arboribusq; solum.
Hîc oleæ pingues, & amenis ficus in hortis,
Surgit, & Idaliæ Myrtus amata Deæ.
Et pretium doctis quorum meruere labores
Vatibus, & baccis laurus amicta suis.
Albaq; Morus adest, nec habet monumenta cruoris
Siue tui Thysbe, Pyrame siue tui,
Malaq; proueniunt benè olentibus aurea ramis,
Mala vel hybernis mensibus apta legi.
Quæq; maris rubri puras imitantia gemmas
Lucida pallenti cortice grana tegunt.
Nec virides desunt victorum præmia palmæ,
Nec tiliæ molles, Heliadumq; nemus.
Te tamen in primis referam dulcißima Lothos,
Carmina tu succis imbue nostra tuis.
Quàm iuuat hos circum frondoso vertice colles
Visere, & intacto cingere flore comam?
Rosmaris & spicæ paßim redolentis aristæ,
Et Thyma Iunipero cum bicolore virent.
Grataq; se vertens ad euntis lumina solis.
Vnde sui causam nominis herba tulit.

Quæq; licet riuis gaudens aspergine nulla
Vda sit, aut pluuijs tacta madescit aquis.
Nec minus in medio quam stœchades æquore gignũt,
Et quæ iuncosum plurima littus amant.
Nec ferrugineus tyriòue simillimus Ostro
Flos tener, Oebalio sanguine tinctus, abest.
Nec croceum cingens Narcissus floribus albis,
Atq; suo pulcher natus Adonis auo.
Quæq; aliæ (nec enim cunctas nunc persequar) herbæ
Nomina non Elegis mollibus apta gerunt.
Adde maris pisces, & quo vos carmine dicam
Aemula Gnosiaco dulcia vina mero?
Te quoq; Læde canam, tacitis qui leniter vndis,
Diuidis hanc, nullo vortice tortus, humum.
Te Driÿades Nymphæq; colunt, assuetaq; ripis
Multa suo fluuium gutture mulcet auis.
Hîc igitur suaues captare iuuabit odores,
Purpureo violas hîc ego vere legam.
His ego vitabo rapidos in collibus æstus,
Terra sua æstiuum dum sitit vsta canem.
Salue diues opum regio, tua solis ab ortu
Littus ad Hesperium gloria quærit iter.
Vrbs salue, cuius nomen sinus vltimus orbis
Audit, & exoriens occiduusq; dies.
Te propter tantos libuit perferre labores,
Tu requies curis vna futura meis.

Ad Gregorium Schetum Medicum.

ELEGIA VII.

Schete meus natalis adest: fœlicibus opto
Auspicijs, seruent hunc mihi fata diem.
Hoc ego vitales hausi vagitibus auras,
Primaq; stirps sexu de meliore fui.
Nec tantum rosei pulchras in luminis oras
Contigit hac primum tollere luce caput:
Abluere antiquæ mala sed contagia culpæ,
Inq; salutiferis sumere nomen aquis.
Cingite Pierides viridi mea tempora Myrtho,
Aut maris ornatas rore ligate comas.
Lapsaq; sub terras (nam vos meministis) & orta
Tempore natalis signa referte mei.
Flaua pruinosas Aurora fugauerat vmbras,
Enixa est vtero cùm pia mater onus.
Scorpius Eoo ducebat ab orbe recentes,
Purpuream scandens æthera, solis equos.
Et matutinos Cyllenius ante iugales.
Vtile carpebat, Pleiade natus, iter.
His comes è pelagi surgens natalibus vndis
Alma capistratas Cypris agebat aues.
Post hanc Phyllirides iaculis armatus & arcu,
Et cœli Aegoceros qui iacet ante fores.
Et puer Iliades, & amantes flumina Pisces

E qui

E quibus hic Boreæ proximus, ille Noto.
Fulua sequebatur, Phryxum Phryxiq; sororem
Per mare quæ nitido vellere gessit ouis.
Torua laboriferi gradiens per cornua Tauri
Falcifer occiduo stabat in orbe senex.
Hinc cum fratre pio fœlix concordia pollux
Ibat, vbi sedes mors habet atra suas.
Iupiter Herculei lustrabat terga leonis,
Iupiter in summo, lætus honore, polo.
Marte premebatur, quæ noctibus efficit æquas
Libra dies, Paphiæ cognita Libra Deæ.
Sic vaga per cœlum dijs astra volentibus ibant,
Dulcia qua vitæ munera luce tuli.
Protinus infantem mansuetis Phœbus in vlmis
Fouit, & Aonidum, dixit, alumnus eris.
Frondentiq; torum cinxerunt Baccare Musæ,
Cederet vt cunis noxa repulsa meis.
Ipsa sed arcani scrutata volumina cœli
Vranie tales ædidit ore sonos.
Salue parue puer, minus infœlicibus annis
Digne puer nasci, non meliore die.
Non tibi fœlicem vitam, non fata negarent,
Pocula castaliæ (sydera testor) aquæ.
Sed malè tunc sacros tractabunt secula Vates,
Vatibus ereptas miles habebit opes.
Tuq; peregrini longis in tractibus orbis.

Multa feres belli tædia, multa viæ.
Ingratosq; hominum mores, casusq; tuorum
Et sterilem frustrà sæpe querere fidem.
Non tamen ambitio, nec amor te franget habendi,
Vna sed imponet dulce puella iugum.
Nec tibi difficilis Saturni stella nocebit,
Ipse, minax quamuis, Mars quoq; mitis erit.
Parce queri, vinces: sed erit mora longa laboris:
Moribus & fatis cætera mando tuis.
Hactenus, & gemuit, sacrasq; Heliconis ad vndas
Rettulit, his actis, turba nouena pedem.
Dicamus bona verba, Deus regit astra, feruntur
Illius arbitrio, sydera, terra, fretum.
Illum supplicibus verbis venerabor, ab illo
Et decus & probitas ingeniumq; venit.
Viuamus, dum fata sinunt, & amenus amici:
Quis scit an hæc vnquam sit reditura dies?
Ipse nouos Genius ludens ad pocula cantus
Audiat, & multo nox eat acta mero.
His Genius contentus erit, non hîc mihi frater,
Non soror est festas quæ paret ipsa dapes.
Nec genitrix nato qua sospite munera soluat:
Dij faciant reditu gaudeat illa meo.
Da mihi vina puer lenes facientia somnos,
Donec in Oceanum sydera prona cadant.
Optime natalis salue, multosq; per annos

Lucæ

Luce bona fœlix & venerandus eas.

Ad Deos Maris in funere Delphini.

ELEGIA VIII.

Dij maris, et virides, quas sunt penes æquora, Nymphæ
Ad bibulum madidis littus adeste genus.
Ille decus pelagi, vestro sub numine, Delphin,
Cæruleas subita morte reliquit aquas.
Et nunc (ecce) iacet refluis inhumatus arenis,
Vix dedit eiecto funeris Alga locum.
Quid benefacta iuuant? quid, non rationis egentem
Esse? quid equoreos non violare Deos?
Num minus exanimem versant in littore fluctus?
Sæuaq; turbati verberat vnda maris?
Non senior potuit Nereus, non optima Tethys
Ferre nec Oceanus, quam meruißet, opem.
Viuat atrox Xiphias, ducitq; per æquora sulcos.
Ille tamen curuas mergit in ima rates.
Viuit & Echnæis, medio quam nauita ponto
Sæpe stupet totis claßibus esse moram.
Occidit innocuus tumidarum rector aquarum:
Optima cùm pereant deteriora manent.
Non iterum vitreas exercens lucibus vndas
Transiliet rapido carbasa tensa Noto.
Nec calidos vitans æstiui syderis ortus
Conscia delitijs incolet antra suis.

Nec

Nec dulces natos, veteresq́; reuiset amores.
Flebile nempe iaces magne natator onus.
Hoc tamen infœlix mortem solabere, quod te
In solida positum vita reliquit humo.
Non tua diripient sub gurgite viscera pisces,
Hærentem scopulis non fera tundet hyems.
Te quoq; credibile est ausum sperare sepulchrum,
Liqueris æquoreas cùm moriturus aquas.
Sit, quodcunq; volet: sub adesi vertice montis
Hic ego te manibus contumulabo meis.
Prosit adhuc, vastas olim Delphina per vndas
Lesbida cum sacro vate tulisse lyram.
Sæpe dabunt gemitus volucres ad busta marinæ,
Et tibi certa Tethys Nereidesq́; ferent.
Quiq́; rigat iuxta factum de cautibus antrum,
Grata quies vmbræ fons erit iste tuæ.
Sæpius ingrediens antiquos nauita portus,
Hauriet hic dulces, te veneratus, aquas.
Siue tamen gelidæ mulcent te littoris auræ,
Atq; sub his gaudes nunc habitare iugis:
Seu colis Eridani ripas, siue vortice cuius
Lenta per Elysium voluitur vnda nemus.
In gremio, Delphin, recuba telluris amatæ
Molliter, & cineres sæpe reuise tuos.

Ad

Ad Ioannem Stigelium, Poëtam.

ELEGIA IX.

Sydera conuexo dum tu labentia cœlo
Scribis, & in populo sacra diesq; tuo.
Nos procul ignotis Stigeli degimus oris
Ad maris occiduas non refluentis aquas.
Et modò Maßiliæ portus miramur, & altas
Puppibus antiquum stœchadas hospitium.
Phocaicosq; sinus, & qui lætißima sulcat
Arua, Pyrenæis montibus ortus, Atax.
Quòd mihi si faciles præberet Cynthius aures,
Ingenioq; forent mollia fata meo:
Non ego sacrorum morem, causasq; referrem,
Sydera nec Phœbi per duodena viam.
Nec canerem numeris ciuilia grandibus arma:
Omnis in imbelli Carmine nostra mora est.
Sed varias gentes, sed nomina prisca locorum,
Hoc aptum nostris viribus esset opus.
Non mihi Castalias Phœbi chorus exhibet vndas:
Finge sed antiquis Vatibus esse parem.
Scilicet in tanto miserarum turbine rerum,
Ille sacer Vates ingeniosus ero?
Non tamen hîc æui penitus monumenta prioris
Transierim, ripis Garde propinqua tuis.
Garde pater bibulæ stagnans sulcator arenæ,
Qui tacitè peragis lene vadosus iter.

Illorum Deus ora mouet, terrisq; relictis
Per liquidum cœli nube vehuntur, iter.
Nos dolor instabilesq; vices, seriesq; malorum
Ingenium tenebris exonerare vetant:
Excidio egregias bis deformauimus vrbes,
Seruitum magnos vidimus ire Duces.
Exulat ignotis princeps Fridericus in oris
Vtilior patriæ quàm fuit ipse sibi.
Necdum finis adest, restant fera prælia, restant:
Terra parum est, veniunt per freta mille rates.
Hic quoque, cui fuerat commissa potentia rerum,
(O pudor) externas Rhenus adorat opes.
Quanta secuturis tempestas imminet annis?
Iam mihi cum Phœbo Calliopæa, Vale.
Tempus in vmbrosis tu, cui licet, exige syluis,
Quà tibi pelignas porrigit Ilmus aquas.
Incœptoq; operis sacri decurre labores:
Non erit ingenij fama sepulta tui.
Me fatis (sint dura licet) parere necesse est:
Arbitrio quoniam non licet esse meo.

Ad Renatum Henerum Medicum.

ELEGIA X.

Quid mihi vobiscum est, inconstans turba, puellæ?
Improbe iam fesso quid mihi fiet Amor?
Scilicet æternum si non ego vulnus haberem,

Impe

Imperij fierent iura minora tui?
Parce precor sæuo liquefactis igne medullis,
Nuda quid immites condis in ossa faces?
Sic ego sæpe leues infœlix alloquor auras:
Irrita sed nubes verba Renate ferunt.
Parrhasiæ (memini) sub sydere virginis arsi,
Multaq;,quod vellem posse negare, tuli.
Forsan & hyberno cinis ater in orbe iacerem,
At citò sum longas iussus inire vias.
Littus ad hesperium veni, Dominamq; reliqui,
Dum feror hùc illùc tertia currit hyems.
Omnia,quæ possunt flammas extinguere,feci:
Quæris profuerim quid mihi? peius amo.
Illa meis oculis, quamuis procul absit, inhæret,
Nec memorem Phœbi nec sinit esse mei.
Iamq;,sub hoc ipso terrarum fine,reperta est
Vna recens nobis (ecce) puella malum.
Hæc est,quam toties laudare soletis amici,
Dum niueum choreis fert tunicata pedem.
Nec quia formosa est capior,sed imagine tangor,
Nec quod amo video,cogor amare tamen.
Namq; (fatebor enim) gelida mea vita sub Arcto
Huic similes vultus,si modo viuit,habet.
Sic elata genis,sic est astricta papillis,
Sic pede,sic oculis,sic operosa comis.
Vtraq; blæsa ferè est,annis crescentibus ambæ,

Nec

Nec magis hæc longa est, nec magis illa fuit.
Nec pudor aut casti faciunt discrimina mores,
Vt credas partus vnius esse duas.
Quid mihi nunc prodest quòd nos mare separat ingēs?
Mens bona quòd tantis exagitata malis?
Quid iuuat effigiem teneræ conflasse puellæ,
Quam manus in digito læua minore tulit?
Nū minus hæc præbet tellus, quòd amare necesse est?
Num minus hæc cogunt me simulachra mori?
Colle sub herboso (nil te celabimus) ibam,
Vnde maris virides conspiuntur aquæ.
Laurus & vmbrosæ salices & Lotos & Vlmi
Præcipuè Baccho Lotos amica, virent.
Illic, sicut erat viridantibus abdita ramis
In gelida violas mane legebat humo.
Vt vidi, obstupui penitus, nec lumina flexi,
Et dominam verè sum ratus esse meam.
Hunc etiam gestum flores carpentis habebat,
Sic etiam casu, candida vestis erat.
Non virides referunt magis vda Sisymbria Menthas,
Non magis in speculo se videt vlla parem.
Sed tamen ignotas cur illa veniret in oras?
Vnde pedem ferret? quòue teneret iter?
Quinetiam timui, miseram si fata tulissent,
Mortua ne sensus luderet vmbra meos.
Mox patuit dubiæ iucundus imaginis error,

C *Vocis*

Vocis vt argutæ detulit aura sonum.
Fortè sedens patula sua verba canebat in vmbra:
Hæc mihi fecerunt auribus hausta fidem.
Cumq; meos horror subitò percurreret artus,
Frigidus in toto corpore sudor erat.
Ex illo flammis semper discordibus vror,
Excruciatq; recens & rediuiuus amor.
Ergo ferè portum cùm iam mea vela tenerent,
In scopulos facies hæc mihi fecit iter.
Luna quater plenis reparauit cornibus orbem,
Cura nec exanimo defluit illa meo.
Nec libet in patriam quamuis sit amata, reuerti,
Puppe nec in Latium per freta longa vehi.
Durus, & ingenij vafer experientis Vlysses,
Audaci has quondam remige torsit aquas.
Non Ithace tanti, non Neritos ardua tanti,
Penelope tanti sed tamen vna fuit.
Sit mihi spes Dominæ medijs vel Syrtibus, ausim
Vel Scyllæ scopulis applicuisse ratem.
Ipse traham fortes innixus in ordine remos,
Vinctaq; nauali compede crura geram.
Lentus es? an sentis, nec adhuc misereris amici?
Et mea littoribus verba Renate cadunt?
Adfer opem, quoniam Medicas tibi tradidit artes
Phœbus, & Aonidum te chorus omnis amat.
Non tamen hic vllus morbus desiderat herbas,

Est

Est opus eloquio dulcis amice tuo.
Nec precor vt contrà solum me diligat illa,
Dummodò sit penitus non aliena, sat est.
Ipse velim riguos tantum comes ire per hortos
Ludere & in viridi, si patiatur, humo.
Solariq; meos, quos illa resuscitat, ignes,
Et fessam placido sæpe tenere sinu.
Illius & niueis componere carmen in vlnis:
Hic ego sum vates, hic mea Musa valet.
Quod si pauca mihi dederit semel oscula, iuuet
Dum notum terris nomen amoris erit.

Ad Erhardum Stibarum Eq. F.

ELEGIA XI.

Sol abit è Tauro, iamq; igneus æstuat aër,
Vt solet æthereis dum Leo feruet equis.
Nam procul à gelida nos terra Lycaonis Arcto
Sustinet: impatiens ante caloris eram.
Vix sata nunc humiles æquant lactentia sulcos,
Qua dirimit patriæ Cynthius arua meæ.
At seges hic paßim maturis flauet aristis,
Vstus & ardenti sole dehiscit ager.
Frigida nec patulos humectant flumina campos,
Nec rigat effusis humidus imber aquis.
Finitimos Lauri montes oleæq; coronant,
Nulla sed è raris decidit vmbra comis.

His quoq; non ventis, non huic assueuimus auræ,
Semper iners tepido spirat ab axe Notus.
Vastaq; percurrunt sine nube tonitrua cælum,
Et rapido Titan excoquit igne fretum.
Hæc mihi narrabant (memini) quæ vera negabam,
Omnia nunc credo, pòst modò cautus ero.
Nec mihi quis toties sedem mutare, nec vltra
Suaserit ignotis viuere littoribus.
Quæq; sibi placeat regio: his munera frugum
Fertilis hîc magno fœnore soluat humus.
Fœtibus arboreis sit nulla beatior ora,
Hos Pallas campos, hæc iuga Bacchus amet.
Ista iuuent alios, ego nostro gratulor orbi,
Menus vbi fluuio proluit arua suo.
Quaq; venit læto vestitos palmite colles
Separat, & curuas deuehit amne rates.
Menus ab Aurora per pinguia culta volutus,
Illic temperies viribus apta meis.
Sol licet æstiuos propior superingerat ortus,
Sicca vel Erigones torreat arua Canis:
Frondea secretæ præbent vmbracula syluæ,
Prataq; muscosis fontibus vda sonant.
Parturit & flores tellus, fessisq; per herbas,
Lenis ad irriguas aura medetur aquas.
O nemus, ô valles gelidæ! quater ille beatus
Quem sopor argutas opprimit inter aues.

Non

Non illi venis ardor sitientibus hæret,
Candida nec mutat feruidus ora calor.
Ast ego si quando patriam, si quando reuisam,
Fuscus & ardenti sole perustus ero.
Atq; vtinam exhaustos febris non occupet artus,
Nec tener in flammas corporis humor eat.
Quàm vellem colles tacitus reptare salubres,
Et mea sub viridi rura videre iugo.
Errat diuitias si quis miratur inanes,
Iugera sat culti pauca tenere soli.
Post obitus, miseri cum lux breuis occidit æui,
Pondera nil auri diuitis ampla iuuant.
At si quis Musas paruo contentus amauit,
Ille vel inuita morte superstes erit.
Tu quoq;, quem veterum sanguis commendat auorum,
Despice magnificas, nos imitatus, opes.
Et mecum vmbrosis, quoties finit æstus, in hortis
Incipe iam Lauri fronde ligare comam.
Et rerum causas & finem quære bonorum,
Pectora quæ dulci mœsta quiete leuant.
Hæc tibi sub Myrtho residens florente canebam,
Vt scires animi vota Stibare mei.
Cætera cura tua est: saluum modò fata remittant,
Lumen eris patriæ præsidiumq; tuæ.

Ad Carolum Clusium. A.

ELEGIA XII.

Clusi quid viridi cingis mea tempora Lauro?
Non sunt ingenio mollia fata meo.
Tu mihi vel Myrti nectas è fronde coronam,
Vel caput hoc circa qualibet arbor erat.
Non me Pierides Clusi fecêre poëtam,
Pota nec Aonij lucida fontis aqua.
Sed dolor & lacrymæ, sæuiq; Cupidinis ignes,
Tristis & ad rigidas sæpè querela fores.
Ingenium(memini)spernebam carmen & vmbram,
Innocuisq; diu Vatibus hostis eram:
Vt facerem versus dilectæ cura puellæ
Impulit,& studij præmia magna tuli.
Præmia quæ vincunt gemmas & munera Regum,
Quicquid & in lato nascitur Oceano.
Ipsa mei pretium vigilati grande laboris,
Lux mea populeo cinxit honore comam.
Nunc procul à patria miseri solatia luctus
Mœsta cano solis carmina littoribus.
Desine velle meos Lauro redimire capillos:
Desine,temporibus conuenit illa tuis.
Ast ego,quòd teneros semper colo mitis amores,
Serta coronata Myrtea fronte geram.
Salue arbor,salue Hesperijs celeberrima syluis,
Frigida quam patriæ non habet ora mea,

Atqi

Atq; vtinam velles nostris quoq; crescere ripis,
Qua secat obliquo Cynthius amne solum.
Non magis optarim sacras mihi surgere Citros,
Grata nec arenti punica mala siti.
Summa petant alij : Myrtum veneramur amantes,
Si mereor, crines ambiat illa meos.

In Myrtum Clusij.

Quæ Dea? nata mari, quæ defert germina? Myrtum.
Quis chorus hîc? comites ex Helicone nouem.
Vnde Deæ Myrtus? donauit Clusius illi.
Cui dabit illa? tibi. quis dare iussit? Amor.
Cur tamen hoc folijs, cur baccis addidit aurum?
Articulis Charites composuere suis.
Salue Myrte nouis donum mihi dulce Calendis,
Instar Apollineæ tu mihi frondis eris.

Ad Hagium.
De lacrymis amantum.

Si crudelis amor lacrymis concederet Hagi,
Flere tuus vates nocte dieq; velim.
Quòd si nil prosunt, & crescit fletibus ardor,
Assiduè madidas quid iuuat esse genas?
Nil certè : tamen ignis aquas, aqua temperat ignes:
Hinc tristis maneat fonte perenne liquor.

ELEGIARVM FINIS.

P. LOTICHII SECVNDI

Ad Erasmum Neusteter cognomento Sturmerum Eq. F.

SARNIS VENATOR.

Iam gelidos vocor in saltus, viridesq; sub vmbras
Altorum nemorum, iuuat ire per auia Syluæ
Ad liquidos fontes celebrataq; flumina Nymphis:
Et vigili patulos indagine cingere montes.
Tuq; adeo decus Aonidum, domitorq; ferarum,
Et merces iucunda mei Sturmere laboris,
Ingredere aspirans, mecum venabere Damas,
Mecum Capreolos, ramisq; sub arboris altæ
Duces securos in molli cespite somnos.
Ipse etiam Cytharam Phœbus quandoq; reponit.
Et pharetras plectris, & mutat plectra pharetris:
Aestus erat mediusq; dies, & fessa per omnes
Captabant valles animalia frigus opacum,
Alituumq; genus, ripæq; amnesq; silebant:
Cùm lycidas solis recubans Venator in antris,
Corniger aërius vbi Cynthius educat Alnos,
Absentem flebat Sarnim, gemitusq; ciebat,
Ad circumstantes euoluens talia Syluas.
Syluæ, quæ tenues ramis diffunditis vmbras,
Vmbræ dulce mihi riguis solamen in herbis,
Et sacri fontes & amicæ fontibus Auræ,

Sarnis

Sarnis vbi est? quibus infœlix in montibus errat,
Quas habitat terras Sarnis? quibus exulat oris?
Rupibus his Corydon & Iolæ frater Amyntas,
Phyllidis & veteres iactant Amaryllidis ignes,
Pastores ambo: nemorum nec pœnitet illos.
Nos te Chare puer Solis redeuntis ab ortu
Solis ad occasum, medioq; vocamus in æstu,
Nec te pœniteat nemorum: sunt humida nobis
Antra, fatigatis puras dat Cynthius vndas,
Cynthius vmbrosas valles, & frigida Tempe.
Omnia tecum vnà fugerunt gaudia nostra,
Sarni, nec è tereti sine te venabula quercu,
Nec pharetras gestare libet, cui nostra laborent
Retia? quis pariles ætate lauabit ad amnem
Capreolos, texetq; nouos per cornua flores?
Fœlices olim Syluæ, quas Sarnis obibat
Sydere Luciferi primo, dum naribus acres
Intemerata canes rostris vestigia captant.
Gaudebant Syluæ, gaudebant frondea rura,
Aurarumq; leues animæ, atq; in montibus vmbræ.
Non illum Zephyris latuit variantibus aër,
Non oriens Phœbus: sudi prænuncia signa,
Quidq; vehant Hyades, quid agat Venator Orion
Nouerat, & tacitæ per amica silentia noctis
Tela gerens humeris ibat, dum frigida cœlo
Sydera conniuent blandos imitantia somnos:

Ah miser, ignotis nunc errabundus in oris
Antiquos imo suspirat pectore saltus:
Saltusq; fluuiosq; & nota cubilia, valles.
Non mihi te saltem licuit dulcissime rerum
Affari extremum, suprema nec oscula iunxi,
Nec mandata dedi, nec, Sarni reuertere, dixi,
Infœlix: cùm tu Lycidam Nymphasq; iuberes
Esse tui memores, iterumq; uocares,
Humida declinans ad amatos lumina colles.
Sarni Vale celsæ respon sant vndiq; rupes.
Responsant caua saxa, Vale, Vale optime Sarni.
Hùc puer ô formose, nouas hìc explicat vmbras
Populus, & viridi prætexit gramine ripas
Cynthius, & molles irritat murmure somnos:
Hùc puer ô formose redi: non tempora vitæ
Longa meæ superant, tu nunc eris alter in istis
Montibus, & manuum inuenies monumēta mearum.
Ipse tibi sæuo tutas à frigore Myrthos,
Ipse serò Lauros, &, dum serò, crescite dico.
Fœlix illa dies, qua tu mihi redditus olim.
Post triste exilium, post duros mille labores,
Narrabis casusq; tuos, & flumina & vrbes,
Quæq; peregrinis habitent animalia Syluis.
In numerum quercus ipsæ fagiq; loquentes,
Ipse conualles, ipsa hæc arbusta sonabunt:

Ducite,

Ducite, ut ante, canes pueri, gestate pharetras.
Sperabant hic læta sibi connubia Nymphæ
Sarni, tua captæ forma & florentibus annis:
Nunc spes absumptæ Nymphis, nunc vallibus imis
Abruptos luget Dryadum chorus omnis amores.
Gramina syluestres sanant Gortynia capras,
Quas bonus occulta Venator arundine fixit:
Non desiderium releuant, non gramina curas.
At tu non iterum nostros miraberis artus
Care puer, non his fuimus, dum fata tulerunt,
Indecores ambo syluis: tu prima voluptas
Tu postrema mihi, meminiq; ô Sarni tuorum
Lustra per hæc quondã, memini venerãde laborum.
Vt iaculum hoc ima semel à radice recisum
Quod solidum nodis olim fortissimis Hagnon
Quod Lycidæ nunc dextra gerit, non amplius ullas
Induet aut frondes, dabit aut venantibus umbras:
Sic nostro nunquam cedet de pectore Sarnis.
Sarnis nos dilexit, & ipse est dignus amari.
Sis memor ô longumq; Vale iam dura canentem
Fata vocant Lycidam, riguis tua dignior ætas
Fontibus, & syluis, & amictis gramine ripis:
At meus in tenues vanescat spiritus auras.
Hæc Lycidas, & surgit, eum comitantur euntem
Asterionq; Laconq; canes, & grandibus ora
Humectant ambo lachrymis: ille vndiq; ramis

Ilice

Ilice decisis alta prope flumen amœnum
Tela sagittiferis suspendit clausa pharetris,
Et picturatos, quos Sarnus gesserat, arcus
Subligat, & iacula & pedicas & tortile cornu.
Addidit & titulum Lycidas: hæc Sarnidis arma.
Illum etiam Syluæ, illum etiam fleuistis arenæ,
Herbifer illum etiam te nomine Sarni vocantem
Cynthius, & gelidis fleuit sub collibus Acis,
Mæsta repercussis gemuit quoq; rupibus Echo.

P. LOTICHII ET ALIORVM QVORVNDAM CARMINA.

*

Ad Lauros in hortis suburbanis.

Lauri quæ rapidos arcetis vallibus æstus,
Tuq; susurranti fons nemoralis aqua.
Vos Lauri saluete mihi, salue optima rerum
Auia frondosis Lympha sub arboribus.
Hic ego dum licuit, curas lenire solebam,
Qua strepit è gelidis vnda voluta iugis.
Hic meus argutas cecinit Venator ad auras,
Dum fleret mœstis Sarnidem arundinibus.
O sopor, ô blandæ volucres, ô gramen & herbæ!
Quàm fuit hic animo viuere dulce meo!
Nunc me dilectis auellere cogor ab hortis,
Nec mihi sæua dabunt fata referre pedem.
Este mei memores Lauri, vosq; antra valete,
Et fons, & Musis Vallis amata Vale.

Ad Renatum Henerum Medicum.

Si mecum leniter meridiari
Sub Myrto libet auiaq; Loto,
Mi Renate, parum deambulatum
Rus ad me venias, vt otiosis
Disertos recitet puer libellos

Bembi,

Bembi, Flaminij, Actij, Augurelli,
Vel quodcunq; bonum simillimumq; est.
Nam quasdam volo collocutiones
Tecum texere, donec æstuosus
Frangat se calor: hinc sedens in herbis
Dulci membra refrigerabis vnda,
Qua Citros rigat, alluitq; Lauros
Nostris Lympha scaturiens in hortis.
O iucunda beatitudo vitæ
Libros inter & optimos amicos,
Quos iungit bona comitas, & vna
Delectatio rebus ex eisdem:
Et Musæ Veneresq; Transmarinæ.
Gaude villula: quàm tuum libenter
Inuiso nemus? ecquid æstimandum est
Curis esse beatius solutis?

Renati Heneri ad Naxiam.

Dum tecum sedeo, mea vita, impensius vrit
Cor mihi sæuus Amor triste liquefaciens.
Hinc animam in lacrymis fundo, sed tu mihi lucem
Restituis dulci Naxia basiolo.
Atq; iterũ ore anhelantẽ animam cum basiolo hauris,
Argutisq; iterum me reuocas oculis.
At cùm discedis, fugit halitus (heu) simul omnis:
O ego non fœlix qui toties pereo.

Ad P. Lotichium Secundum N. Angelelli Romani.

Lumina nunc lacrymis fundūt, dolor ignibus adstat,
Vritur & flammis vna anima & lacrymis.
Vritur, & liquidis augetur fletibus ignis,
Et crescunt flammis assiduæ lacrymæ.
Pectore nunc etiam nostri pars maxima fugit:
At reliquum dubio statq; caditq; pede.
Et montes meditatur, aquas & gramina campi,
Nympharum & liquido rura resecta gradu.
Mox montes horret, niuibusq; geluq; retectos:
Atq; horret flatus Æole sæue tuos.
Quid iuuat insanos imbres, & frigora dura
Sæuaq; vesani flamina ferre Noti?
Ipsi nunc campos Satyri liquere feroces,
Nympharum & rapido turba fugata gelu.
Tu solus montes, Lotichi, & flumina tranas,
Nec solus longam pergis adire viam.
Vos ô syluicolæ, syluarum numina, Fauni,
Vos comiti comites nunc precor este meo.
Cui memorate viæ solamina grata molestæ,
Vt nostro illius pectore flagret Amor.

Ad

Ad Martinum Stibarum,
In Natalem Saluatoris, Lotichij.

Quo te Carmine, qua lyra
Natali procul à solo
Rex sanctissime cælitum
Festo tempore concinam,
Mũdi Christe Redemptor?
Ergo hunc alme puer diem
Sic ducemus in vltimi
Solitudine littoris?
Quo tu natus es, induens
Humanos Deus artus?
Quod possum tamen, & fretum
Et sol æthera metiens
Surgens audiet & cadens,
Nos plausus dare, nos tuæ
Matris dicere partum.
Martine incipe, nam Dei
Hæc ætatula filio
Est gratißima, flos tener,
Flos ortus tener est, cane,
E propagine Iessæ.
O dulcißima Veritas:
Tu nos aspice, tu reple
Dulci pectora gaudio,
Et bellum, & lacrymabiles.
Cum fame opprime morbos.

Ad Ioachimum Camerarium, Filium viri clarissimi Ioachimi Camerarij, Erhardi Stibari.

Sancte puer summi dulcißima cura parentis,
Editus in lucem qui venerandus eras.
Cùm tu iucundas vitæ egredereris in oras,
Blanda tibi Aonides serta tulere Deæ.
Et sacra imposita Lauri de fronde corona,
Ad cytharam dulces edocuere modos.
Fœlix cui fauet ille chorus: maturior æuo
Ille suo æternum carmine nomen habet.
'lius ingenij volitant monumenta per orbem,
Quæ præsens ætas posteritasq; probat.
ecum ergò optatam cuperem consumere vitam,
Atq; sub incultis antra tenere iugis.
Tu liquidam resides intacti fontis ad vndam,
Mollis vbi cultum concitat aura nemo.
Et varias rerum causas & sydera quæris,
Quæq; sequenda homini, quæ fugienda notas.
Interea volucres tenui te gutture mulcent,
Et teneros sacro fundis ab ore modos.
Hæc in te primis quæ semper vidimus annis,
Pectoris indicium grande sagacis erat.
Macte animo, & celsi spatiare per ardua montis,
Nos humili satis est ducere valle moram.

In malum poëtam Lotichij.

Salax poëta (penè nomen addidi)
Nugator efferate, seculi pudor.
Adhuc ne dentes exeris famelicos
Et plena febris atq; pestilentiæ
Vates siticulose ructas carmina?
Me me lacesse, me pete, vt remordeam
Casti pater diserte contubernij.
An nomen addam? nolo ne superbias.
Clamabo tantum (pace quod fiat tua)
O carminum venusta liberalitas.

Ad Gregorium Schetum Medicum Lotichij.

Dum nos omnibus exules in oris
Fidi erramus amiculi, nec vllo
Sub cœlo requiescimus, molesta
(Eheu) Schete senectus appropinquat:
Et languescit, vt icta sole Myrtus
Blandæ flosculus elegans iuuentæ.
Viuamus semel: otiumq; ruris
Gustemus, patula sedens in vmbra
Mecum tegmine sub virentis Vlmi
Cœli carpe salubriores haustus,
Mox armis fera bella luctuosis

Hinc nos Lauriferis agent ab hortis
Trans pigras maris vltimi paludes.
Istas nunc cythara & ioco atq; vino
Curas elue: sic laboriosum
Alterna vice temperemus æuum,
Dum longam properet dies quietem.

Inferiæ Lotichij.

Hæc tibi fide Mari posui monumenta Secundus
Extremum sanctæ pignus amicitiæ.
Quandoquidem procul à patria florentibus annis
Funere te sæuo mersit acerba dies.
Ossa iacent tumulo: victuri gloria restat
Nominis, ad superos mens pia fecit iter.
Salue pars animæ nuper dulcissima nostræ,
Gaude & perpetuum rursus aue atq; Vale.

D. M.

D. IACOBO MARIO GERMANO PIETATIS ET INGENII LAVDIBVS INSIGNI AMICO INCOMPARABILI. P. LOTICHIVS POSS. B. M.

Expirauit in amicorum manibus XV. Calend. Nouemb. Anno salutis CCCCC. ac II. & L. supra mille.

FINIS.

Errata sic corrigito.

Pagina 3. Linea 16. lege artium. 7. 10. hunc. 9. 25 libellos. 15. 21. Cæsare. 16. 18. repetens. 20. 1. nouissima. ead. 19. cùm. 27. æquoreos. 35. 26. decidit. 89. 8 post mari periodus ponatur. 42. vlt. ipsæ.



MC